C

TEMPERAMENTVM.

Cyperi radices maximè uſui ſunt, excalfacientes pariter & exiccantes citra mordacitatem.

VIRES. EX DIOSCORIDE.

Radici Cyperi calefaciendi uis ineſt, urinamq; mouendi. Calculoſis & aqua inter cutem correptis pota ſuccurrit. Aduerſus ſcorpionū ictus remedio eſt. Refrigerationibus uuluæ & pręcluſionibus fotu auxiliatur. Pellit menſes. Arida trita oris ulceribus, etiam ſi depaſcant, prodeſt. Malagmatis calefacientibus miſcetur, & unguentorum ſpiſſamentis accommodatur.

EX GALENO.

Cyperi radices maximè uſui ſunt, excalfacientes pariter & exiccantes citra mordacitatem. Itaq; ulceribus quæ præ nimia humiditate cicatricem difficulter admittunt, mirificè proſunt: habent enim quiddam etiam adſtringens, quapropter ulceribus item oris conueniunt. Quin & incidendi uim quampiam illis ineſſe teſtificandum, qua & calculo uexatis congruunt, & urinam menſesq; mouent.

EX PLINIO.

Cypero uis in medicina pſilothri. Illinitur pterygijs, ulceribusq; genitalium, & quæ in humore ſunt omnibus, ſicut oris ulceribus. Radix aduerſus ſerpentiū ictus & ſcorpionum præſertim remedio eſt. Vuluas aperit pota. Largiori tanta uis, expellit eas. Vrinam ciet & calculos: ob id utiliſsima hydropicis. Illinitur & ulceribus quæ ſerpunt, ſed his præcipuè quæ in ſtomacho ſunt, ex uino uel aceto illita. Iunci radix in tribus heminis aquæ decocta ad tertias tuſsi medetur. Semen toſtum & in aqua potum, ſiſtit aluum & fœminarū menſes, capitiſq; dolores facit.

D

# DE LATHYRI. CAP. CLXXII.

NOMINA.

*Cataputia minor quare dicta*

ΛΑΘΥΡΙΣ Græcis, Lathyris Latinis, officinis Cataputia minor, quod in pilulis quibuſdam, ſeu potius catapotijs, ſemen ferat: aut, quod ueriſimilius eſt, quia granis eius ad aluum ſubducendam pro catapotijs utantur. Germani Springkraut/Springkörner oder Treibkörner appellant, quod ſemen ſcilicet niſi in tempore auferatur, ſua ſponte ex loculamentis ſaliendo excidat.

FORMA.

Caulem profert cubitalem, uacuum, digiti craſsitudine: in eius cacumine ſunt alæ. Folia in caule oblonga, amygdalinis ſimilia, latiora tamen & læuiora. Quæ uerò in ſummis ſunt ramulis, minora, Ariſtolochiæ aut oblongæ Hederæ figura. Fructum fert in ſummis ramis tribus loculamentis diſtinctū, rotundū ceu Capparin, in quo terna ſunt ſemina putaminib. inuicē diſcreta, rotunda, maiora eruis, quæ quū corticibus exuunt, candida ſunt, & guſtu dulcia. Radix illi tenuis & inutilis. Totus autem frutex lacteo liquore, Tithymali modo, plenus eſt. Hanc certè deſcriptionē,

*Cataputia minor*

ſi ſingula comparare uelis, ita Cataputiæ minori quadrare inuenies, ut nulla prorſus ſit nota, quam non pictura referat. Nam hæc caulem cubitali emittit longitudine, & digitali craſsitudine. Gignunt in faſtigio alæ, & folia in caule oblonga, amygdalæ proxima, latiora & læuiora. Quæ autem in ſummis emicant ramulis, minora ijs quæ caulem ambiunt conſpiciuntur, Ariſtolochiæ aut longioris Hederæ figura. In cacuminibus fructum gerit triplici cellula conceptaculoue diſtinctum, ceu Capparin rotundum, in cuius uentriculis grana tria intercurſantibus membranis diuiſa continentur, eruis maiora, rotunda, quæ corticibus exuta alba ſpectantur, guſtatu dulcia.

LOCVS.



LATHYRIS